

R. 1.^o Affirmativè; nam jus ex Christi institutione non tantùm post sponsalia, sed etiam post matrimonium ratum cuilibet permittit ad statum religiosum transire, etsi sponsalia qualificata sint per juramentum, utpotè accessorium sponsalium (*cap. 2. 14. de convers. conjug. c. 4 de voto*); nam sponsalibus et matrimonio rato inest tacita conditio: nisi Religionem elegero.—His non obstat. *c. 16. de sponsal.*; nam ibi sponsus nondùm plenè statuit ingredi Religionem, sed habuit quoddam propositum inefficax, quod Papa vocat *legem privatam*, seu legem complacentiæ erga statum religiosum, ut patet ex verbis *si postea elegerit*: quia verò biennium contrahendo matrimonio præfixum ad finem vergebat, ne fieret perjurus, ideo Papa rescripsit, tutiùs esse matrimonium contrahere, et deinde, si elegerit, ad Religionem transire. Gonz., Suar. etc.

2.^o Vovens ingressum Religionis post sponsalia, etiam jurata, regulariter nequit licitè contrahere matrimonium cum proposito ante illius consummationem ingrediendi Religionem: ità Sanch. et alii contra Ant. de Butrio, Petrum de Ledesma etc. Nam ità contrahens exponit se manifesto periculo violandi votum, derogat dignitati voti et status amplectendi, præjudicat sponsæ, quæ cogetur esse sine nuptiis, donec ille vel profiteatur, vel è novitiatu egrediatur. Excipe, nisi id exigeret damnum puellæ defloratæ, metus admittendæ famæ aut vitæ, vel alia gravis causa: si tamen contraheret, et mutata voluntate consummaret matrimonium, illicitè contra votum ageret, cùm post matrimonium ratum adhuc potuerit voto satisfacere. At imposterùm licitè petit et reddit debitum, quia materia voti, scilicet, ingressus Religionis, evasit impossibilis; ergò cessat obligatio voti, et consequenter ea omnia, quæ annexa sunt Religioni, uti servare continentiam. Soluta matrimonio aut per mortem, aut divortium perpetuum, reviviscit obligatio voti Religionis, et urget ad ingressum, sicut soluto matrimonio, reviviscit votum continentiam impediens aliud matrimonium: quia vota ista per matrimonium non extinguuntur, sed suspenduntur.

3.^o Votum amplectendæ Religionis, vel ingressus in novitiatum ex parte ingredientis non solvit sponsalia, nisi secuta professione: ità Henric., Laym. et alii com. contra Navar., Gutier., Sanch. etc. Nam obligatio sponsalium non est impossibilis cum novitiatu, cùm nec impossibilis sit cum matrimonio. Tum quia si novitiatum solveret sponsalia ex parte novitii, daretur occasio fraudulenter disolvendi sponsalia per fictum ingressum; ergò. At pars in sæculo manens habet justam causam resiliendi à sponsalibus, ut communis tenet contra Covar., Palud. etc.: tum quia novitiatum ingrediens, tacitè et ipso facto renuntiat juri quæsito ex sponsalibus, tùm quia quasi statum mutat: quæ causæ sunt sufficientes ad resiliendum à sponsalibus.

TITULUS VII.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM. ^a

63. Præsens rubrica est strictior nigro; quia impedimentum criminis, de quo tractatur *h. t.* non solum oritur ex adulterio, sed etiam ex homicidio alterius conjugis. Est autem hoc impedimentum dirimens; et specificè vocatur impedimentum *criminis*, licèt impedimentum *metus et raptus* etiam ex delicto oriantur: sed hæc servant sua propria nomina.—De crimine tantùm impediendo agetur *tit. 16.*

64. Q. I. *Quibus modis incurratur impedimentum criminis dirimens matrimonium?*

R. 1.^o Quatuor modis: duobus quidem ex causa adulterii, et duobus ex causa homicidii. Et—I. Si adulteri, vivente conjugè altero, matrimonium de facto iniverunt (*c. 5. h. t.*)—II. Si adulteri promissionem fecerunt futuri matrimonii post mortem alterius conjugis ineundi (*c. 6. 7. et fin. h. t.*)—III. Si adulterio non commisso, ambo machinentur in necem alterius conjugis cum effectu, seu secuto conjugicidio (*c. 1. de convers infidel.*)—IV. Si commisso adulterio, unus ex adulteris occidat proprium, vel adulteri conjugem animo cum illo contrahendi matrimonium (*Can. 5. si quis 31. q. 4.*) Ratio hujus impedimenti ab Ecclesia introducti est: *ex parte adulterii*, ut segura sit conjugum fides, amor et vita, omnisque occasio captandæ mortis alienæ tollatur. *Ex parte homicidii*, quia atrocitas tanti criminis erga conjugem admissi meretur istam inhabilitatem; tum maximè, quia suppositis his criminibus, turpe et inhonestum scandalique plenum est tales personas inter se copulari.—Nec obstat factum Davidis occidentis Uriam, et cum adultera Betsabea contrahentis; nam in veteri testamento non fuit hoc impedimentum, licèt in novo testamento ob dictas rationes rectè sit introductum.

2.^o Ut crimen ex adulterio dirimat matrimonium, debet esse:—I. Adulterium *formale*, non *materiale*, propter ignorantiam vel invaliditatem prioris matrimonii, completum in sua specie, et durante eodem matrimonio consummatum.—II. Debet cum adulterio copulativè concurrere, vel matrimonium actuale de facto, vel promissio matrimonii ineundi post mortem alterius conjugis: et quidem seria, non ficta, sive ista præcedat adulterium, sive sequatur, constante priori matrimonio, sive fiat in actu adulterii, dummodò promissio sit expressè acceptata ab altera parte; siquidem tacens in hac materia odiosa non habetur pro consentiente. Et

^a—Agitur de hac materia in Decreto 31. q. 1. per tot. et 32. q. 4. et 7.

quamvis probabile sit ad hoc impedimentum sufficere promissionem acceptam sine repromissione adulteri, quia hoc modo est periculum captandæ mortis alienæ; oppositum tamen æquè est probabile, quia *fides data*, quæ requiritur, plerùmque in jure Canonico significat promissionem mutuam utrinque obligatoriam (*cap. 22. de sponsal. cap. 1. de sponsal. duor. exp. 5. qui Clerici etc.*); ergò cum versemur in materia odiosa, *fides data* accipienda est pro mutua promissione, quam sibi faciunt adulteri de matrimonio post mortem conjugis ineundo.—III. Econtrà ex adulterio non incurritur impedimentum criminis si adulterium sit materiale, vel non completum; vel si copulativè desit promissio, vel ista sit ficta aut remissa, nullo præcedente adulterio, licèt deinde per accidens sequatur adulterium: vel si promissio sit de matrimonio, vivente altero conjugè, ineundo; vel si promissio facta sit in uno matrimonio, et adulterium in secundo; quia videtur recessum à fide data: ità hæc omnia deducuntur ex Canonibus causæ 31. *quæst. 1. et cap. 1. 7. in h. t.*; et si quæ jura diminutiùs loquuntur, supplenda sunt ex aliis plenè loquentibus et exigentibus, ut vel adulterium sit cum actuali matrimonio de facto inito, vel adulterium sit cum promissione matrimonii post mortem conjugis ineundi.

3.º Ut conjugicidium mixtum adulterio inducat impedimentum criminis, præcedere debet adulterium; aliàs post cædem copula non est adulterina, tum sequi debet machinatio cum effectu, seu cædes conjugis, etiam ab uno tantùm ex adulteris patrata animo ineundi matrimonium cum complice; non verò solo animo liberiùs exercendi libidinem (*Can. 5. si quis 31. q. 1. c. 6. qui fil. legit. c. 1. 3. 6. h. t.*, S. D. in 4. d. 37. q. 2. ar. 2. in corp. et alii communiter).—II. Ut solum conjugicidium inducat impedimentum criminis, requiritur, ut uterque concurrat physicè vel moraliter in necem conjugis, animo contrahendi matrimonium, et cædes reipsà consecuta sit (*c. 1. de convers. infid.*). Sola ratihabitio, qua alter ratum habet conjugicidium nomine suo gestum, non sufficit; cum fictio ista nullo jure sit expressa, sicut expressa reperitur de habente ratam perussionem Clerici nomine suo factam (*c. 23. de sent. excom. in 6.*)

65. Q. II. *Qui ligentur impedimento criminis?*

R. 1.º Soli fideles; cum sit tantùm juris Ecclesiastici; ergò infideles non ligat, nisi per accidens et indirectè, quatenùs persona fidelis impeditur contrahere cum infideli ad fidem converso, si adulterium cum eo commisit, facta promissione matrimonii; vel si ab eis conjugicidium patratum sit modo ante explicato (*c. 1. de convers. infidelium.*)

2.º Qui vivente uxore legitima, contraxit cum alia ignorante ipsum esse conjugatum, post mortem primæ, tenetur renovare consensum, et contrahere cum secunda, si ista velit (*c. 1 et 7. h. t.*) Nam ex una parte non est hic impedimentum criminis; ex altera verò parte decepta per separationem patitur damnum, quod reparari debet per matrimonium habili tempore ineundum. Si tamen matrimonium ineatur cum tertia post mortem primæ conjugis, subsistit, et decepta alio modo damnum resarciendum est.

3.º Ignorantes ligantur impedimento criminis: ità Moya et Reiff., Go-

bat, Schmalz, et communior DD. contra Palud., Major., Pichler etc. Nam Sac. Canones 31. q. 1. et h. t. nullam mentionem faciunt de notitia, an quis sciverit hoc impedimentum annexum esse dictis delictis; ergò voluerunt eo ligari sive scientes, sive ignorantes; prout Canones istos interpretatur praxis Curiarum tam Romanæ, quàm aliarum Ecclesiarum, tales personas sine dispensatione non admittentium ad nuptias. Ratio est, quia inhabilitates à jure introductæ incurruntur ab ignorantibus, ut patet in irregularitatibus ad Ordines, beneficia etc.; sed impedimentum criminis, licèt fundetur in delicto, est tamen per se et principaliter inhabilitas ad matrimonium, sicut alia impedimenta ex crimine orta; ut impedimentum metus, raptus, affinitatis ex copula illicita; quia non decet, nec honestum, nec Reipubl. Christianæ expediens est tales personas inter se copulari, cum alioquin in matrimoniis maximè attendatur, quid deceat, honestumque sit (*l. 42. ff. de ritu nupt.*); ergò.

Dices: I. Hoc impedimentum est pœnale, scilicet, in pœnam tanti delicti; pœna autem ignorantem non stringit.—II. Inhabilitatio pœnalis obligat eum, qui peccat contra legem, quæ pœnalem; sed ignarus pœnæ non peccat contra legem, quæ pœnalem; ergò.—III. Ignorantia facti excusat ab impedimento criminis; ergò etiam ignorantia juris, cum in neutro casu peccetur contra legem ignoratam.—IV. Irregularitas ex delicto, privatio juris ad petendum debitum conjugale, inhabilitas ab beneficium ex simonia, censura non incurruntur ab ignorantibus (*c. 2. de const. in 6.*); ergò nec impedimentum criminis.

R. Ad I. D. A. Est pœnale occasionaliter, secundariò et in consequentiam, C. A. Primariò et per se, N. A. Hoc impedimentum primariò est inhabilitas; quia non decet nec expedit tales personas copulari: alioquin ignorantia à plerisque prætexi posset.—Ad II. Est eadem solutio; nam inhabilitatio ista principaliter est ob indecentiam, quæ in republica christiana tolerari non debet cum magno dispendio honestatis matrimoniorum.—Ad III. N. C. Nam ignorantia facti excusat ab adulterio et conjugicidio, et consequenter ab impedimento; non verò ignorantia juris circa inhabilitatem constituti.—Ad IV. N. C. Exceptis censuris; nam et istæ inhabilitates incurruntur ab ignorantibus; non tamen censuræ, quæ contumaciam, et cons. scientiam prærequirunt. Argumenta ista instantiam contrariam habent in aliis impedimentis ex delicto ortis. Quia verò opposita sententia satis est probabilis, servire potest confessario pro illo casu, quo impedimentum est occultum, et adulteria vel homicidia in futurum non pendent.

66. Q. IV. *An impedimentum criminis sit perpetuum, et à quo dispensabile?*

R. Ad I. Affirmativè; ità ut non cesset, etsi complices longo tempore in matrimonio putativo vixerint, et proles susceperint (*c. 5. h. t.*), quia diuturnitas peccatum non minuit, sed auget: prolibus tamen necessaria alimenta ministranda sunt: *ibid.* ubi corriguntur jura civilia spurios alii vetantia.

Ad II. In impedimento criminis dispensat solus Papa; quia inferiores non possunt relaxare jus commune. Si tamen est publicum ex conjugici-

dio ortum, rarissima et difficillima est dispensatio. Et si ortum est ex adulterio conjuncto cum nuptiis, vivente altero conjuge contractis, non dispensat Papa, nisi negotio finito in Officio S. Inquisitionis. S. Pœnitentia in hoc impedimento occulto, si oriatur ex homicidio, non nisi ex urgentissimis causis dispensat, injuncta pœnitentia diuturna: facilius autem, si oriatur ex solo adulterio cum promissione; præsertim si complices erant ignari hujus impedimenti.

TITULUS VIII.

DE CONJUGIO LEPROSORUM. *

67. Nomine lepræ venit hic omnis morbus horridus et contagiosus: ut paralysis, epilepsia, morbus gallicus, etc.

68. Q. An lepra sit impedimentum matrimonii?

R. 1.º Lepra antecedens ignorata, vel consequens sponsalia, dat justam causam resiliendi ab illis: secus si fuit cognita; quia pars altera sibi imputare debet, quod scienter cum leproso contraxerit sponsalia.

2.º Lepra sive antecedens, sive consequens, nec dirimit matrimonium contrahendum, nec dissolvit contractum (c. 1. 2. h. t.) Nam vis ista nulli attributa est lepræ aut simili morbo.—Nec obstat c. fin. h. t. et Can. 18. proposuisti 32. q. 7.; nam c. fin. procedit de sponsalibus, quod superveniente lepra, alter non teneatur ad consumandam seu perficiendam copulam maritalem, quæ consistit in contractu; seu quod non teneatur inire matrimonium. Canon. 18. procedit de infirmitate arctitudinis seu impotentia, ob quam invalidum fuit matrimonium; Bellar., Gonz. et alii: subsidia autem tali mulieri præbenda sunt per restitutionem dotis, vel ex charitate.

3.º Lepra contagiosa est causa sufficiens divertendi quoad thorum et cohabitationem; nam contractui matrimoniali inest conditio divertendi ob justam causam, qualis est incolumitas proprii individui. Si tamen conjux sanus vult cohabitare, et debitum reddere, id ei licebit: quia in morbis diuturnis periculo infectionis prævalet amor conjugalis: præsertim si adsit periculum incontinentiæ in utroque conjuge.—Nec obstat, quod forsân proles nascetur leprosa; quia huic melius est leprosam esse, quam nullo modo esse.—II. Si lepra non est contagiosa, pars sana tenetur leproso cohabitare et debitum reddere: quo sensu procedit c. 1. et 2. h. t., quia hic non adest justa causa excusans ab obligatione conjugali, nisi forsân nimius horror esset in reddendo debito.—Vide notata in summaris cap. Quoniam 2. hoc eod. tit.—III. Facta separatione leprosorum, utrinque à judicæ Ecclesiastico injungenda est continentia (c. 1. h. t.)

*—Agitur de hac materia Can. 25. hi, qui 32. q. 7. et Can. 18. si uxorem. 32. q. 5. et alibi sparsim.

TITULUS IX.

DE CONJUGIO SERVORUM. *

69. In h. t. examinatur impedimentum conditionis servilis, quod nuncrarum est, cum servitus legalis apud Christianos ferè expiraverit.

70. Q. I. Quando conditio servilis dirimat matrimonium?

R. 1.º In unico tantum casu, quo liber ignorans alteram partem esse servituti obnoxiam, contrahit cum illa matrimonium, etsi ignorantia sit modicum crasa: ita Can. 4. et seqq. 29. q. 2. et c. 2. fin. h. t. Nam licet contractus iste jure naturali sit validus, ut comm. tenet, tamen Ecclesia non voluit eum valere ob justas causas; puta ob inæqualitatem personarum, ob injuriam libero illatam, et prolihus inferendam. Quæ assertio locum habet etiam tunc, dum contrahitur cum statu libera; quia tempore intermedio, pendente conditione et tempore, est ancilla (l. 9. ff. de statu liber.) Convalescit autem hoc matrimonium, si liber, cognito errore servitutis, ratificet priorem consensum expressè vel tacitè per copulam (c. 2. et fin. h. t.); quia jure antiquo talis copula præsumitur fieri affectu conjugali: jure autem Trident. si servitus publice innotescat, convalidatio fieri debet coram parochio et testibus.

2.º Valel matrimonium in seqq. casibus:—I. Si liber scienter contrahat cum ancilla, quia volenti non fit injuria; licet ob vilitatem personæ fiat irregularis (Can. 15. d. 34).—II. Si liber contrahat cum libera, quam putat esse ancillam, vel servus cum ancilla, quam putat esse liberam: quia hic non redditur status deterior ita errantis.—III. Si liber ignarus contrahat cum ancilla, quæ vi collocationis in matrimonium à domino factæ consequitur libertatem (Nov. 22. c. 11.) Quod jus non reprobatur à sacris Canonibus; quia in ipso contractu ancilla fit libera, adeoque liber non cum ancilla, sed cum libera nuptias init: prior verò servitus ignorata non sufficit ad hoc matrimonium invalidandum.

3.º Si matrimonium cum errore conditionis servilis publicæ contractum est, dissolutio ejus fieri debet auctoritate Ecclesiæ (arg. c. 2. et fin. h. t. c. 3. de divor.) ; nam quod auctoritate Ecclesiæ contrahitur, auctoritate ejusdem dissolvi debet. In prævio judicio liber probare debet conditionem servilem, quam ex parte ancillæ asserit: error verò regulariter non probatur, nisi in illo casu, quo talis persona notoriè et communiter habita est pro ancilla; quia quilibet præsumitur scire, quæ communiter nota sunt (lib. 2. ff. et l. 23. Cod. de probat.) Si verò communiter non est habita pro ancilla, ista probare debet, quod liber notitiam habuerit de ipsius conditione servili.

*—Agitur de hac materia in Decreto 29. quæst. 1. 2. per tot.

71. Q. II. *Quid juris circa matrimonia servorum cum ancillis?*

R. 1.º Talia matrimonia sine consensu domini sunt valida et regulariter licita: ita decisum est *c. 1. h. t.*, quo corriguntur jura civilia, quæ inter servos, præsertim sine consensu domini dicunt esse *contubernia*, non matrimonia (*l. 3. C. de incest. nupt.*) Ratio I, quia servi jure naturali et divino habent jus liberum contrahendi et suscipiendi sacramentum matrimonii, tum ad finem propagationis humanæ, tum etiam in remedium concupiscentiæ; quod jus, utpotè toti naturæ commune, non subditur privata potestate dominicæ; ergò matrimonia servorum cum ancillis sunt valida. Ratio II, quia servi utendo jure suo, licetè agunt, et nulli injuriam faciunt; licetè decens sit, ut requirant consensum dominorum. Dum verò antiqui Canones nuptias servorum dicunt non esse justas et legitimas, id intelligendum est, non de legitimitate Canonica, sed civili, quatenus non intercedunt pacta dotalia; neque ex talibus oritur patria potestas, nec hæreditas et successio liberorum: quo sensu explicantur *Can. 11. cum seq. 32. quæst. 2. et Can. 9. dicat 39. quæst. 4. Can. fin. 29. quæst. 2. ibi per voluntatem dominorum.*

Dices: Professio religiosa est favorabilior; sed servus sine consensu domini non potest validè profiteri; ergò nec nuptias contrahere.

R. N. C. Quia professio religiosa non est composibilis cum operis domino debitis; benè verò matrimonium.

2.º Dominus rescians servum tractare de nuptiis, re integra, ante inita sponsalia, potest servum in remota mittere aut vendere; quia utendo jure suo, non facit illi injuriam. At si sponsalia sint inita, non potest eo medio uli: tum quia præjudicaret juri sponsæ, quod independens est à dominio domini; tum quia directè impediret matrimonium, quod ei non licet. Contracto autem matrimonio, servum alio mittere potest; quia non privatur potestate dominica, licetè illicitum videatur sine gravi causa servum eo mittere aut vendere, quo illum uxor sequi non potest. Sanch.

3.º Servi ipso facto tunc consequuntur libertatem, dum dominus eos collocat in matrimonium cum persona libera ignorante eorum servitutem (*auth. ad hoc C. de latin. lib. toll.*), quia hoc modo dominus fingitur cedere jure suo. At si pars altera scivit conditionem servilem, dominus consentiendo in matrimonium, non præsumitur dare libertatem, nisi ancillæ constituat instrumentum dotis, vel servo instrumentum donationis propter nuptias; quæ instrumenta propria sunt hominum liberorum (*l. un §. 9. C. de latin. lib. toll.*)

TITULUS X.

DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

72. In *h. t.* qui priori est accesorius, traditur trita regula, quòd partus sequatur ventrem, seu conditionem matris quoad statum libertatis et servitutis: unde mater ancilla parit servum, licetè pater sit liber; et mater ingenua vel liberta parit liberum, dummodò libera sit tempore conceptionis vel nativitatis, vel intermedio.—De hac materia fusiùs agunt Civilistæ *lib. 1. Inst. tit. 3. et seqq.* Vide *Can. 3. cum multæ 15. qu. 8., Can. fin. 32. quæst. 4. et cap. fin. de serv. non ordin.*

TITULUS XI

DE COGNATIONE SPIRITUALI. ^a

73. *Nota.* Cognationem in genere esse quamdam propinquitatem personarum, quæ triplex est: *spiritualis, legalis et carnalis.* De ultimis duabus agitur in seqq. titulis; hic examinatur impedimentum dirimens cognationis spiritualis ortæ ex baptismo et confirmatione.

74. Q. I. *Unde oriatur, et quo jure matrimonium dirimat cognatio spiritualis?*

R. Ad I. Oritur ex sacramento baptismi et confirmationis, non verò ex aliis sacramentis: ita comm. ex Canonibus *causæ 30. q. 1. et 3. Trid. sess. 24. c. 2. de refor. mat.* Nam baptismus comparatur generationi, seu conceptioni in utero; confirmatio verò nativitati, seu editioni in lucem, adeoque in utroque datur gratia per modum generationis et nativitatis; in ceteris verò sacramentis datur gratia per modum nutritionis, sanationis aut reconciliationis; ergò sicut ex generatione naturali oritur cognatio naturalis, ita ex generatione spirituali per baptismum et confirmationem oritur cognatio spiritualis.—Nec obstat *Can. 8. et seqq. 30. q. 1.*; nam ex sacramento pœnitentiæ est cognatio valdè impropria, quæ non habet vim dirimendi matrimonium; licetè fornicans cum filia confessionis probabilis teneatur circumstantiam istam aperire in confessione (*S. D. 2. 2. q. 154. ar. 10. ad 2.*)

Ad II. Cognatio spiritualis jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, et

^a.—Agitur de hac in Sexto *h. t.*—In Decreto *30. quæst. 1. 3. 4. per tot.*—In Trid. *sess. 24 c. 2. de ref. matr.*, ubi statuitur jus novum.

consequenter solvit præcedentia sponsalia: ita comm. ex juribus supra citt. Nam hoc impedimentum introductum est ex justissima causa; quia valde indecens esset patrem spiritualem copulari filia spirituali. Et quia hæc indecentia semper durat, ideo hoc impedimentum est perpetuum. Si verò sequatur ad matrimonium, non dissolvit illud, sicut nec alia impedimenta consequentia, ut affinitas etc.: privat tamen jure petendi debitum, de quo infra.

75. Q. II. *Inter quas personas detur cognatio spiritualis?*

R. 1.º De jure antiquo dabatur inter plures personas; nam hoc jure fuit *paternitas directa* inter baptizantem vel patrinum, et baptizatum; et *paternitas indirecta*, quæ extendebatur ad baptizantis et patris uxorem carnaliter cognitam, quæ propter unitatem carnis cum marito fiebat etiam mater spiritualis baptizati: vel econtra ab uxore baptizante vel levante refundebatur ista cognatio in maritum (c. 4. h. t. in 6.)—II. Fuit *compaternitas directa* inter baptizantem vel levantem, et parentes baptizati; *indirecta* verò refundebatur in uxorem baptizantis et levantis, ut antè dictum (c. 4. h. t.)—III. Fuit *fraternitas* inter baptizatum et liberos carnales baptizantis vel levantis, non verò inter alios fratres et sorores baptizati (Can. 4. super quibus 30. q. 3, ubi corrigitur Can. 5. utpotè anterior tempore: et ita decidit Alex. III. c. 3. h. t., nisi specialis esset consuetudo ut inter omnes fratres et sorores baptizati, et proles baptizantis aut levantis intercederet ista confraternitas diremptiva matrimonii (c. 3. h. t.) Hæc omnia similiter fiebant in cognatione orta ex confirmatione.

2.º Jure novo Trid. S. 24. cap. 2. de refor. matr. sublata est paternitas et compaternitas indirecta, uti et fraternitas, et remansit sola *paternitas* et *compaternitas directa*, et *filiatio*. Unde hodie cognatio spiritualis ex baptismo datur:—I. Inter baptizantem tamquam patrem, et baptizatum tamquam filium, et similiter inter patrinum seu levantem tanquam patrem, et baptizatum seu levatum tanquam filium: ac proinde baptizatus hodie potest ducere uxorem baptizantis vel levantis, si quam habuerunt, et mortui sunt. Et hæc cognatio vocatur *paternitas*; vel si baptizans aut levans est femina, *maternitas*.—II. Inter baptizantem et parentes baptizati, vel inter levantem et parentes levati, quæ vocatur, *compaternitas*, et in feminis *commaternitas*; quia sicut genitores sunt patres carnales baptizati, ita baptizans et levans sunt ejusdem patres spirituales; ac proinde inter se sunt *compatres* vel *commatres*. Nec ultra ad uxorem, vel liberos baptizantis aut levantis cognatio spiritualis extenditur: unde pater carnalis baptizati, sublato impedimento ligaminis, potest ducere uxorem levantis aut baptizantis. Hæc eadem doctrina servatur in cognatione orta ex confirmatione. Inter ipsum verò baptizantem et patrinum, vel inter ipsos patros inter se, nec antiquo, nec novo jure aliqua cognatio oritur. Personæ istæ spiritualiter cognatæ exprimuntur his versibus:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes,
Levans, levatus, levatique parentes,
Confirmans, confirmatus, confirmatique parentes,
Patrinus, confirmatus, confirmatique parens.

76. Q. III. *Quod sit subjectum cognationis spiritualis?*

R. 1.º Soli fideles seu baptizati, cum hi soli subiaceant juri Ecclesiastico (Can. 302. de consecr. d. 4.) Unde infidelis non est capax cognationis spiritualis *activæ*, v. g. si baptizet, vel levet ex baptismo; nam qui spiritualiter non est natus, seu filius, non potest esse spiritualiter pater; sicut necum natus secundum carnem, non potest esse carnaliter pater; S. D. et alii communiter contra Henriq. Neque etiam capax est cognationis spiritualis *passivæ* seu compaternitatis, si fidelis baptizet vel levet prolem parentis infidelis; Sanch. et alii contra Sylv., Rosell. etc.; nam passiva cognatio in tantum afficeret infidelem, in quantum activa cognatio à baptizante vel levante terminaretur ad illum; sed tali casu hoc ipso quod in infideli non detur compaternitas, utpole ab Ecclesia introducta, neque cognatio compaternitatis datur in fideli baptizante vel levante; nam cognatio ista est reciproca, et consequenter si non datur in uno extremo, neque datur in altero; ergò. Tum etiam, quia impedimenta restringenda potius, quam laxanda sunt.

Dices: I. Saltè cognatio ista resultat tempore habili, dum infidelis convertitur ad fidem, sicut irregularitas, v. g. ex bigamia orta (Can. Acutus 28. q. 3.—II. Impedimentum criminis directè à fidei, et indirectè incurritur ab infideli, et dirimit inter eos matrimonium (c. 4. de convers. infid.); ergò idem dic de cognatione spirituali.

R. Ad I. N. A. Nam quod ab initio non subsistit, tractu temporis non firmatur, nec convalescit, ex reg. 18. in 6. Irregularitas bigamiæ post baptismum oriri potest, quia perseverat defectus significationis: sed qui in generatione non est pater, nec postea erit.—Ad II. N. C. Nam cetera impedimenta non sunt ex natura sua relativa, sicut cognatio, sed salvantur in uno impedito; sicut impedimentum ligaminis, impotentiae et similiter criminis.

77. Q. IV. *Quæ requirantur ad hoc, ut contrahatur cognatio spiritualis?*

R. 1.º In baptizante et baptizato adulto, præter intentionem ad valorem sacramenti necessariam, nihil speciale requiritur. In confirmante requiritur regulariter ordo Episcopalis, et intentio conferendi sacramentum confirmationis.

2.º Ex parte patris requiritur:—I. Ut à parentibus baptizandi designetur unus, vel ad summum unus et una (Trid. cit. sess. 24. c. 2. de refor. matr.) Si nullus à parentibus est designatus, parochus unum designabit: si verò designatio ista omitteretur, et plures tangerent seu levarent baptizatum, probabilius est, cognationem spiritualem ab omnibus contrahi: ita teste Fagnano fertur declarasse S. Congr. Nam decretum Trid. loquitur tantum de illis, qui præter designatum tangunt; ergò si nullus est designatus, et omnes levant, juxta jus antiquum omnes contrahunt cognationem spiritualem, licet Sanchez dicat nullum ex illis contrahere, ut vitetur multiplicitas hujus cognationis, qui fuit finis Tridentini.—II. Ut levans habeat intentionem, saltè implicitam, agendi munus patris. Si patrinus intentionem suam restringat ad certum individuum, quod in praxi rarum est, levando alium pro alio, probabilius non contrahit cogna-

tionem spiritualem ex defectu intentionis: secus, si non obstante privato errore, habuit intentionem levandi præsentem personam. In baptismo privato, quia plerumque materialiter tenetur infans absque animo exercendi munus patrini, rarò hæc cognatio incurritur; uti nec tunc, quando supplentur cæremoniæ, quia non levatur infans ex sacro fonte.—III. Ut tempore baptismi patrinus infantem teneat; et quidem ordinariè per physicum contactum, nisi alia consuetudo esset, v. g. ut ipsemet baptizans infantem teneat, et tunc sufficiet, ut patrinus ex manu sacerdotis immediatè baptizatum suscipiat, vel saltèm eo fine præsentet baptizandum. S. Congregat. 1688. teste Petra cum præxi. Respondere autem pro infante, vel alia præter levationem facere, per se non requiritur in patrino (c. 1. h. t.)—IV. Ut baptismus sit validus: quod enim nullum est, nullum operatur effectum (c. 8 de jure patr.). Si baptismus secundus est conditionatus, contrahitur paternitas, nisi constaret primum fuisse validum.

Hæc omnia etiam in confirmatione observantur, ubi insuper in patrino requiritur, ut ipse prius sit confirmatus (c. 402. d. 4. de cons. S. Congr. in Liciensi, 13 Jul. 1654.) Episcopus tamen, etsi non esset confirmatus, contraheret paternitatem, cum in eo sufficiat validè conferre confirmationem.

3.º Patrinus per procuratorem levans; sicut Magnates facere solent, probabilius contrahit cognationem spiritualem: ità Abb., Navar., Laym., Reiffest., Schmier, Schmalz. et alii communiùs contra Sanch. Gonz. et alios existimantes cognationem istam, vel à neutro contrahi, vel à solo procuratore.—Prob. ex req. 72. in 6: Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum; ergò sicut patrinus per se levans contrahit cognationem spiritualem, ità quoque levans per procuratorem, eam contrahit: alias sequeretur absurdum contra legem Ecclesiæ, quod tali casu nullus sit verus patrinus, cum procurator, non suo, sed alieno nomine levans, non sit patrinus et spiritualis cognatus baptizati. Præterea per procuratorem, contracto matrimonio, etiam contrahitur publica honestas à principali; ergò et contrahi potest cognatio spiritualis: stat pro hac sententia declaratio Sac. Congregat. 1582, 29 Martii, et 1634, 15 Martii, teste Clericato. Communitas, si eligatur in patrinum, unum ex suis designare debet, qui nomine suo patrinum agat, et cognationem contrahat, cum communitas, ut persona ficta, talem cognationem contrahere nequeat; neque singuli ex communitate, quia Trid. unum, vel unum et unam designari jubet.

Dices: I. Tangere, levare significant actionem personalem et physicam; ergò si principalis personaliter non tangat baptizatum, non fit ejus cognatus.—II. Baptizans ex commissione parochi, ille, et non parochus, contrahit cognationem; ergò à pari.—III. Cognatio carnalis contrahitur ex propria actione personali, uti et cognatio legalis (l. 25 §. 1. ff. adopt.); ergò etiam spiritualis.

R. Ad I. Verba ista verificantur de contactu morali et non semper physico, cum clarè ex jure non constet necessariò requiri physicum contactum.—Ad II. N. C. Nam commissarius baptizat, non parochi, sed suo et Christi nomine; procurator autem levat nomine principalis.—Ad III. N. C. Nam

cognationem naturalem ipsa natura, legalem ipsa lex prohibet contrahi per procuratorem: quia prohibitio non est respectu cognationis spiritualis.

78. Q. IV. Quodnam sit officium patrini?

R. Præter munus levandi, proprium patrini officium est, et de se grave, ut baptizatum instruat in doctrina fidei christianæ, saltèm in defectum parentum et magistrorum: et ideo patrini in jure et à SS. Patribus vocantur fidei doctores, pædagogi spirituales, fidejussores, sponsores (c. 100. et 104. de consecr. d. 4. c. 1. diligere 30. q. 3.) Unde qui non sunt idonei ad hanc instructionem, neque admittendi sunt pro patrinis; ut hæretici et apostatæ, pœnitentes publici, moribus infames, excommunicati: et ob specialem rationem Regulares utriusque sexus, ne prætextu cognationis spiritualis extra claustra vagentur (c. 20. pervenit. 18. q. 2. c. 103. et seq. d. 4. de consecr.), nisi religiosus per Episcopatum absolveretur à jugo regulæ.

79. Q. V. An parentes contrahant cognationem spiritualem?

R. 1.º Si pater in casu necessitatis baptizet vel levet prolem ex legitima uxore sua susceptam, non incurrit cognationis spiritualis impedimentum, et consequenter non privatur jure petendi debitum (c. 7. ad limina 30. q. 1: quia inculpabile judicandum, quod necessitas intulit.—2.º Si pater extra casum necessitatis baptizet vel suscipiat prolem suam per probabilem ignorantiam facti, scilicet ignorando esse communem prolem, vel ex sua uxore genitam, excusatur ab hoc impedimento, quia non habuit intentionem baptizandi vel levandi prolem, ut suam. An verò ignorantia juris illum excuset, dubium est. Affirmant multi, quia privatio juris ad petendum debitum est pœna, quæ ab ignorante non incurritur. Negant alii, quia impedimentum cognationis spiritualis est mera inhabilitas propter indecentiam introducta, quæ ab ignorante incurri potest. Prior opinio est favorabilior et probabilior; nam licet cognatio spiritualis antecedens matrimonium sit inhabilitas, tamen ei superveniens est principaliter pœna privans jure quæsito ad petendum debitum.—III. Si pater, sive in, sive extra casum necessitatis baptizet vel levet prolem ex fornicatione susceptam, incurrit impedimentum dirimens matrimonii cum fornicaria contrahendi; nam iste castus substat generali regulæ, qua baptizans fit compater cum parentibus baptizati. Nec compaternitas ista habet rationem pœnæ, sicut in priori casu, sed est mera inhabilitas ad contrahendum matrimonium cum comatre, qualem incurrit omnis baptizans, sive solemniter, sicut Clericus, sive privatim baptizet, sicut laicus.—IV. Vir prolem ex legitima uxore susceptam extra casum necessitatis baptizans vel levans, privatur jure petendi debitum conjugale. Prob. ex doctrina generali h. t. disponente, ut baptizans et levans contrahant cognationem spiritualem et impedimentum ei annexum; sed parentes baptizantes vel levantes propriam prolem, nullibi excipiuntur ab hac generali dispositione, imò expressè comprehenduntur: Can. 1. et seqq. 30. q. 1., ubi jubentur separari, non utique quoad vinculum, sed quoad usum thori conjugalis, si ambo rei sunt; alioquin pars rea jubetur manere cum innocente, et eum non fraudare (c. 3. ibid.); ergò.

Dices: Jura antiqua, si contraria sunt, corriguntur per cap. 2. h. t., ubi